

DECISIO XXVI. ARGUMENTUM.

Prima circumstantia QHIS, in Confessione explicanda declaratur. Hæc concernit personam Pœnitentis, cujus peccata vel gravat, vel multiplicat numero, vel facit mutare speciem, ob ejus Dignitatem, Votum, Ligamen Matrimoniale, & Scandalum. Agitur de dignitate Pœnitentis ob scientiam, ætatem, ac Superioritatem. De ejus Voto, statuque conjugali pluribus exemplis ostenduntur circumstantiæ inde resultantes, in Confessione manifestandæ. Scandali essentia, ac divisio traditur, & plenè descriptur de Scandalo activo, ac passivo, & quomodo sint consistendæ circumstantiæ ex scandalo insurgentes; additis jucundis Historiis in materia Scandali.

SUMMARIUM.

- 1 Circumstantia in uno quoque peccato sunt septem, & quæ?
2 Circumstantia QHIS versatur circa Dignitatem, Votum, seu Ligamen maritalæ, & Scandalum pœnitentis.
3 Dignitas in pœnitente vel ob scientiam, vel ob ætatem, vel ob Superioritatem.
4 Scientia circumstantia manifestanda.
5 Ætas in peccatore gravat peccatum.
6 Superioritas gravat, & aliquando multiplicat numero peccatum, idè circumstantia Superioritatis explicanda.
7 Voti, ac ligaminis maritalis circumstantia exprimentur. Et an Voti solemnitas? Et an si alium faciat peccare contra materiam sui Voti?
8 Circumstantia in costibus luxuria manifestanda.
9 Mortuam mulierem carnaliter cognoscens quale peccatum committat?
10 Scandalum unde dicitur? Quid, & quotplex sit? num. 11.
12 Scandalum quando sit peccatum mortale? & quando veniale?
13 Scandalum nunquam est licitum.
14 Abraham, Loth, & Eliseus, an commiserint peccatum scandalum?
15 Chineses an possint simulare adorationem Idoli, tenentes Crucem?
16 Peccatum minus an suadendum, ut evitetur peccatum majus?
17 Naaman cur potuerit genuflectere in Templo Idoli?
18 Scandalum passivum quando evitandum, vel permittendum? Regule quatuor.
19 Scandali activi circumstantia semper in confessione aperienda; & ad quos, & ad que se extendas?
20 Circumstantia per oblivionem omissa quando consistenda?

Quæ hucusque de Circumstantiis dicta sunt, deserviant pro Regula, ac doctrina generali ad cognoscendum, quando mutent speciem peccati, & quando gravent tantummodo intra eandem speciem, & in consequentiam ad sciendam, vel absolutam necessitatem manifestandi eandem circumstantiam in Confessione, vel facultatem illas tacendi, ut de simpliciter aggravantibus concedunt neoterici; quamvis, ut supra probatum est, tutius sit, ac magis expediens ad certitudinem, validitatemque Sacramenti eas exponere, potissimum si notabiliter gravent, & opinantes, eas taceri posse, intelligendi sunt, si circumstantiæ leviter tantum gravent. Modo

descendendum est ad ipsas circumstantias in particulari, ex quarum individua discussione apertius Lector instructus evadat, & discat, quamnam sint mutantes speciem, & quæ gravantes, & ex his omnibus, quæ de necessitate sint consistendæ.

Communis Doctorum consensus firmat, septem esse Circumstantias, quæ circa unumquodque peccatum considerari possunt, & quæ hoc vulgari carmine, omnibus Confessoribus notissimo, comprehenduntur. Videlicet:

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

De Circumstantia Quis?

Hæc Circumstantia denotat qualitatem personæ pœnitentis, ac consentiens peccata; circa quam tria sunt consideranda, ut cognoscatur, an ejusdem peccata mutaverint speciem, vel gravaverint tantum. Hæc tria sunt Dignitas, Votum, seu Ligamen Matrimoniale, atque Scandalum.

Dignitas resultat in homine vel ob Scientiam, vel ob Ætatem, vel ob Superioritatem. Regularius in Praxi lib. 14. num. 28. idè qui Scientia pollet, & peccat, aggravat peccatum suum; & majus est peccatum viri docti, quàm hominis ignorantis. cap. Excellentissimus. 11. quæst. 3. unde ait Dominus Luc. 12. 47. Ille servus, qui cognovit voluntatem Domini, & non preparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. & 2. Petr. 2. 21. Melius erat illis, non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrosum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Et hæc circumstantia magnam vim habet cohibendi studiosos à peccatis, à quibus si non abstinere, bonum est hanc circumstantiam confiteri, est enim aggravans notabiliter.

Ætas patitur in peccatore aggravat ejus peccatum; quia quo senior est homo, majorem habet obligationem cum Dei timore vivendi; nam peccatorum ætatem annorum maledictus erit. Isaie 65. 20. & est la-crimabile valde, audire senes spurcitibus carnis, vel gula; aut aliis flagitiis inquinatos, adinstar eorum, qui exarserunt in concupiscentiam (Susannæ) & exorturunt sensum suum. Dan. 13. 9. Sanctitas quoque vitæ gravat vehementer peccatum, est mera malitia commissum; unde de servis suis lamentatur Deus, dicens: Jerem. 11. 15. Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera sua. Dixi, ex mera malitia, quia si peccarent ex infirmitate, aut ex aliqua vehementi passione, aut tentatione, citra scandalum, aut votorum transgressionem, minus peccarent. S. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. ult. citius enim surgunt à lapsu, & impensis se castigant. Superioritas verò non solum aggravat peccatum cap. Præcipuum. 11. q. 3. quando Prælati occultè, & extra officium suæ Superioritatis peccat; sed etiam mutat speciem, quando peccat cum aliquo ex suis subditis, cujus custodiam spirituale habere tenetur ex officio; idcirco Episcopi, ac Parochi peccatum committentes cum suis ovibus, tenentur hanc circumstantiam exponere in Confessione, quia ultra speciem peccati commissi, peccarunt contra promissionem Deo factam in acceptatione illius Superioritatis, de retrahendo subditos à peccatis, & in via Dei dirigendos, ut bene probat Eminent. Cardin. de Laurea de Pœnit. disp. 11. art. 6. n. 83. & seqq. Eminentiss. Cardin. de Lugo eod. tract. disp. 16. num. 356. & 357. Et notavit Bonacina de Matrimonio quæst. 4. punct. 16. num. 10. quem refert, ac sequitur Collegium Salmanticense. de Sacram. in genere tract. 6. cap. 8. num. 62. Igitur peccantes, si sint qualificati in scientia, vel in ætate, vel Superioritate Ecclesiastica, nisi sint noti Confessorio, debent exprimerè hanc circumstantiam. Secus dicendum de Superioribus Laicis deputatis ad castiganda delicta populorum; nam illi, si occultè delinquant, non tenentur se accusare de dicta circumstantia

stantia Superioritatis, èd quia eorum officium non respicit eorum animum; sed regimen in concernentibus foram contentiosum, & externum. Diana part. 1. tract. 7. resol. 36. residente in opere ejus Coordinato tom. 1. tract. 7. resol. 160. qui tamen in tom. 7. tract. 4. resol. 23. & 23. docet, eos teneri ad manifestandam suam Superioritatem, si omiserint subditos corrigere. Hæc de dignitate Pœnitentis.

7 Votum, seu Ligamen ejusdem est attendendum præcipue in peccatis luxuriæ; nam per utrumque non solum offenditur sextum Præceptum Decalogi de non morbando, sed etiam promissio facta Deo, vel alteri personæ de abstinendo à quacumque culpa carnali; & idè transgressores voti castitatis, sive solemniss, sive privati, ac ligaminis in statu maritali, committunt in quocumque peccato Luxuriæ duo peccata specie diversa. Eminentiss. Cardin. de Laurea d. disp. 11. à num. 90. & seqq. Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disp. 16. sect. 4. p. 2. à num. 146. ubi alios allegat docentes, esse manifestandam circumstantiam status maritalis à conjugatis; & ab habentibus votum hanc voti circumstantiam, non solum ab ipso vovente, sed etiam à complice, qui cum eo carnis crimen commisit. An autem sit exprimentum solemniss voti, vel satis sit dicere, peccavi Luxuriæ peccato habens votum Castitatis? Sunt hinc indè opiniones Doctorum, quos refert Collegium Salmanticense. d. tract. 6. cap. 8. num. 54. & adhæret assensibus, non esse necessarium manifestare solemniss Voti, inter quos Sanchez de Matrimonio lib. 7. disp. 27. num. 27. Castropalaus tract. 23. disp. unic. punct. 9. num. 6. Et ipse Eminentiss. Card. de Laurea disp. 11. num. 91. nec non Eminentiss. Card. de Lugo, ubi supra num. 147. qui duo alia notabilia docent: Unum, quòd si habens votum castitatis, etiam addiderit juramentum de carnaliter non peccando; si peccet, tria criminalia patrat, & tam voti, quàm juramenti circumstantias fateri debet Alterum, quòd prædictum votum habens, si hortetur alium ad peccandum contra castitatem, obligatus est exprimerè circumstantiam dicti sui voti, quia illud offendit, suadendo alium ad peccandum contra castitatem; & multò magis, si habens votum castitatis carnaliter peccet cum alia persona simili voto obstricta; tenetur enim utriusque votum in Confessione manifestare; quemadmodum, si conjugata adulteretur cum muliere, alteri conjugata, utrumque matrimonium debet exprimerè; quia diversa obligatio est in peccante, ne violet suum votum, vel suum Matrimonium, ab ea, quam tenet, ne procuret, ut alter violet suum. Idem Eminentiss. Card. de Lugo d. disp. 16. num. 258. Diana part. 9. tract. 6. resol. 4. & tract. 9. resol. 67. alias 66. Quæ nunc sunt reposita in opere Coordinato tom. 1. tract. 7. resol. 101. in fin. & resol. 164. nec non in part. 11. tract. 5. resol. 51. Coordinata in eod. tom. 1. tract. 7. resol. 97.

Hinc ex supradictis resolvuntur sequentes casus, in quibus tamen tutior est opinio, quòd sit manifestanda qualitas personæ, tanquam circumstantia necessaria; est contravertent Theologi; an committatur duo peccata specie diversa; eorumque major pars respondeat negativè; videlicet. 1. Sponsus, ac Sponsa fornicantes cum aliis tenentur explicare circumstantiam sponsaliorum fractorum. 2. Qui primò spontè fornicator, non tenetur fateri circumstantiam virginittatis amissæ, sive Vir, sive Puella, nisi hæc esset in potestate parentum, ob injuriam gravem, quam intulerit illis. 3. In crimine pessimo eandem circumstantiam Virginittatis non esse consistendam, quia ejus clausuram non violatur. 4. Religiosus, vel conjugatus si sola mente carnalia peccata committant, tenentur circumstantiam Voti, vel Conjugii explicare. 5. Frigidus, vel Eu-

De Sacramento Pœnitentiæ.

nuchus turpia agentes cum meretricibus debent circumstantiam suæ impotentia narrare, quia censentur eorum peccata esse contra naturam. 6. In eodem crimine pessimo non esse exponendam circumstantiam sexus, neque an fuerit agens, vel patiens; & in bestialitate non esse specificandam animalis speciem; neque qui se pollut illas tangendo; quamvis multi DD. in his omnibus contrarium affirmant, ut compendiosè potest Lector videre in Summa Diana Verb. Circumstantia QUI S? ubi etiam refert DD. pro utraque opinione; an sit consistenda circumstantia disparitatis cultus, si Christianus peccet carnaliter cum Judæa, vel cum Turca? aut Christiana copiam sui faciat Turcæ, vel Judæo? idè que de Hæretico, ac Hæretica? vel si quis coiret cum muliere viridica cum promissione futuri Matrimonii? aut dehoratæ Virginem petentem, ac volentem. Et contra pro certo docent, coitum cum Religioso Novitio, vel Novitia, aut cum Clerico in minoribus, est beneficium, non obligare ad has circumstantias patefaciendas; quod etiam scribit Collegium Salmanticense. alios DD. refertens d. tract. 6. cap. 8. num. 55. & seqq. Diana part. 1. tract. 7. resol. 79. relegata in Coordinato tom. 1. tract. 7. resol. 79. His est addendum, quòd docet Bordonus in Decif. Miscell. decif. 109. nempe conceptum plures copulari cum Matre, & Filia, sibi nullo sanguinitatis, vel affinitatis gradu conjunctis, non tenent circumstantiam incestus narrare; quia species hujus peccati requirit, ut altera ex mulieribus sit consanguinea, vel affinis ejusdem concupiscentis; affinitas autem non contrahitur, nisi præcedat actualis copula cum una ex illis; ut etiam scribit Diana Coordinatus d. tom. 1. tract. 7. resol. 111. desumpta ex part. 10. tract. 15. resol. 13. in veteri.

Tandem, quia non est scelus, quòd malitia humana non commiserit, dispartat Moralitæ, quam speciem peccati committat, qui copulam habet carnalem cum muliere mortua? Diana Coordinatus examianus hunc casum tom. 8. tract. 6. resol. 6. quæ in veteri est part. 9. tract. 9. resol. 1. adducit alios dicentes, committere fornicationem; quia femina, est mortua, analogicè dicitur femina; alios bestialitatem; quia femina defuncta non est amplius speciei humane; alios simplices molliem, aut pollutionem; prout accidit, cum quis se pollut cum statua; & cum hac opinione remanet Diana addens nihilominus, hanc esse circumstantiam notabiliter aggravantem; & per consequens juxta tutiorem opinionem esse exprimentandam in Confessione. Præterquam quòd si coiret cum ipsa defuncta ex affectu erga illam tanquam viventem, exponendus esset status, & qualitas ejusdem mulieris, quia si esset uxorata, vel virgo, causaret peccatum diversæ speciei à pollutione, nempe adulterium, vel stuprum. Et hæc satis circa Circumstantiam QUI S, occasione Voti, vel Ligaminis Matrimonialis.

Sequitur tertium considerabile in Circumstantia Quis, nempe Scandalum; quòd sic dicitur à verbo ex quo hoc est claudium; ut notat Vossius in Etymologic. Lingue Latine V. Scandalum; èd quia qui dat Scandalum, cogit proximum in bonis moribus claudicare; vel ut scribit Tirinus in Comment. Epist. ad Roman. cap. 14. Vers. 13. à Verbo ex quo, id est obliquo; scandalizatus enim deflectit à via recta, & vadit per obliquum, sicutem, ait Tirinus ibidem, obliquum vocant illum bacillum, quo miscipula aperta detinetur, & cui ejus alligatur, quo miscipula aperta detinetur, & cui ejus alligatur, ut mus cum arrodens, miscipulam exierim in se trahat. Hinc translata est hæc vox ad significandum omne id, quòd alteri est causa lapsus & peccati: Et propriè loquendo, scandalizare significat ponere offendiculum alicui, ut cadat. Magrins in Hierolex. eod. Verb. Definitur

nitur autem Scandalum, ut dicitur, vel factum, vel omiffum minus rectum, probens alteri occasionem ruinæ. S. Thomas 2. 2. quest. 43. art. 1. Reginaldus lib. 14. num. 22. & Layman lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 1. ubi observatur, consistere scandalum in verbis, vel factis minus rectis, à quibus alii sumunt occasionem peccandi; aut etiam in omissionibus, scilicet eorum, ad quæ aliquis est obligatus, puta non audiendo Missam in die festo; vel non recitando officium, si sit beneficiatus, vel ordinatus in Sacris; quo exemplo etiam aliis datur occasio omittendi auditionem Missæ, vel officii recitationem. Non dicitur autem concupitum in definitione Scandali, sicut in definitione peccati; quia ea, quæ reineruntur ab homine interius in corde, non pariunt scandalum, quod consistit tantummodo in externis; nam sicut in via corporali obex, quo quis impingitur ad lapsum, est exterior; sic in processu viæ spiritualis per exemplum, vel inductionem, aut exhortationem ad malum, exterius factam, alter trahitur ad peccandum. S. Thomas d. quest. 43. art. 1.

Duplex autem est Scandalum Activum, ac Passivum. Scandalum Activum consistit in illo, qui dicitur, aut facit rem minus rectam præbentem alii occasionem ruinæ spiritualis; vel dantem impedimentum in Dei servitio. Ut qui hortatur focium ad fornicandum; vel si pater blasphemans, aut se inebrians det motum filiis suis blasphemandi, & se inebriandi; aut si mundani homines, irideant, ac spernant eos; aut si pietatis operibus sunt addicti, à quibus se retrahunt ob dictas irrisiones. Passivum Scandalum consistit in eo, qui peccat, vel desistit à bonis operibus, motus à dictis, vel exemplis alterius: idest hæc Scandala aliquando sunt simul conjuncta, cum quis movet alium ad malum, & iste consentit, & peccat; tunc enim extat Scandalum Activum; & ac Passivum; aliquando sunt separata, & unum horretur focium ad furtum; ac focius recuset furari, quia est scandalum Activum sine Passivo. Vel si quis ex actione alterius bona, vel indifferenti, ob suam propriam malitiam, sumat occasionem peccandi; aut ob suam ignorantiam; quia tunc est scandalum passivum sine activo, & in primo casu dicitur Scandalum Pharisæorum; nam Pharisæi ob eorum malitiam de doctrina Domini scandalizabantur; quod Dominus contempnendum esse dicit, Matib. 15. 12. In secundo casu dicitur Scandalum Puffillorum; quibus opus est reddere rationem circa ea, ob quæ scandalizantur, ut cessent ab ignorantia. Ita S. Thomas 2. 2. d. quest. 43. art. 7. in corp. Layman d. lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 8. Vers. est verò hic advertendum. Diana Coordinatus tom. 7. tract. 5. resol. 1. Quæ in veteri est part. 5. tract. 7. resol. 1. Rursus Scandalum Activum duplex est. Unum per se, cum quis malè loquitur, vel operatur ea intentione, ut proximus peccet. Alterum per accidens, quando non operatur cum tali intentione; sed quia opus non est rectum, ex eo proximus ruit in peccatum. S. Thomas d. q. 43. art. 3. Reginaldus d. lib. 14. num. 22. & Summa Diana V. Scandalum. num. 1.

Potri Scandalum aliquando est peccatum mortale, aliquando est peccatum veniale. Scandalum activum per se, idest cum inrentione impellendi proximum in peccatum grave, est semper mortale; & idem est dicendum, si fit per accidens; idest sine tali intentione, quando dictum, vel factum, aut omiffio est opus peccaminosum mortale. Est autem peccatum veniale, si dictum opus sit leve, & non inducat proximum, nisi ad peccatum veniale; nam si haberet vim illum impellendi in peccatum mortale, etiam si opus in scandalo activo esset leve, ipsum scandalum esset peccatum mortale. S. Thomas d. q. 43. art. 4. in resp. Reginaldus d. lib. 14. num. 33. & 27. Volpi Verb. Scandalum resol. 174. à

num. 7. & segg. nec non Layman d. cap. 13. num. 1. & 3. ubi dant exempla de muliere, quæ se ornata offert aspiciendam ab eo, qui eam ad turpia concupiscit. De clerico tenente domo mulierem populo suspectam, ob quam detractiones sunt. De Juvene dicente verbum amatorium mulieri, audiente ejus marito zelotypo, ex quo magna diffusio oritur inter conjuges ipsos. Ratio autem, cur scandalum activum sit peccatum, est; quia est contra virtutem charitatis, qua debemus salutem spirituum proximi diligere; & contra præceptum correctionis fraternæ, per quod si obligamur retrahere proximum à peccatis, multò magis prohibemur, ne illum in peccata impingamus. Scandalum verò passivum, si per ipsum scandalizatus ruit in peccatum mortale, est culpa mortalis; venialis autem, si solum venialiter peccet: non enim exemplum malorum excusat eos, qui sunt illorum imitatores, à peccato; siquidem debent non ad exempla mala attendere; sed ad Legem Divinam, ad quam observandam quilibet christianus est obligatus, qui propterea non excusatur à culpa. cap. Si dominus, & cap. segg. 11. q. 3.

Quapropter hic Theologi omnes firmant hanc conclusionem, quòd nullo casu licitum est, aliquem inducere dictis, vel factis, tacite, vel expresse ad agendum id, quod ab eo sine peccato fieri non potest. S. Antonius part. 2. tit. 1. cap. 9. §. 14. Navarrus in Man. cap. 17. num. 262. & alii plures allegati per Layman d. lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 3. quod idem est dicere, nunquam esse licitum dare Scandalum Activum, nam Ve homini illi, per quem Scandalum venit. Matib. 18. 7. ex qua veritate deducitur, non esse licitum à maleficio petere, ut maleficium maleficio solvat. Sallés de S. Inquisit. lib. 1. cap. 14. Regul. 133. nec ab usurario, ut cum usura mutuet; nec ab infideli, ut per salium Deum juret; nec à Sacerdote, qui jurisdictione caret, ut à peccatis absolvat; nec alterum invitare ad bibendum usque ad ebrietatem; nec ex urbanitate inducere ad cenam illum, qui tenetur jejunare; neque pharmacopoli vendere venenum quibusvis postulantiibus, sed iis tantum, quos certò sciunt viros vel ad medicinam, vel ad colores; neque deferre litteras amatorias ad malum finem. Layman d. cap. 13. num. 3. & segg. Azorius lib. 12. cap. 17. Volpi resol. 175. & Gobatus in Quinario tract. 5. cap. 13. num. 19. ac 22.

Sed objicit aliquis: Primo, cum Abraham ingrederetur Ægyptum cum Sara uxore sua, dubitans eam esse rapiendam, & dudendam in uxorem à Pharaone; ita hortatus est illam: Die ergo, obsecrate, quòd soror mea sis, ut bene sit mihi propter te. Genes. 12. 13. Et cum ita illa dixisset. Sublata est in domum Pharaonis. Ecce duo Scandala. Unum, quòd Abraham hortatus est Saram, ut diceret mendacium. Alterum quòd credens Pharaon, eam non esse uxorem, sed sororem Abraham; adulterium committeret cum illa. Secundo: Loth cum haberet hospites duos Angelos; & lives Sodome eos requirent ad malum finem; ipse Loth obtulit eis duas filias suas, dicens: Habeo duas filias, quæ nequam cognoverunt virum; educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis (idest Angelis hospitiibus ejus) nihil mali faciatis. Genes. 19. 8. En quòd Loth dedit scandalum, idest occasionem peccandi Civibus Sodomitibus, offerens eis filias suas, cum facultate eis abutendi in spurciis carnalibus. Tertio: Naaman Syrus petit consilium ab Eliseo, quid sibi agendum: Quando ingrederetur Dominus meus templum Remmon, (idest Idoli) ut adoret, & illo inveniente super manus meas, si adoraverò in templo Remmon. Quod ut faceret, concessit ei Eliseus; nam ei respondit, assentiendo per hæc verba: Qui dixit et, vado in peccatum. 4. Reg. 5. 18. & 19. Ergo dedit ei scandalum, hortando,

hortando, consulendo, ac approbando ut adoraret Idolum. Nec dicitur, quòd licet exterius genuflecteret, ac adoraret interius, tamen, ac in mente sua intendebat adorare Deum verum; quia respondetur, id non sufficere, sed etiam ab actibus externis denotantibus adorationem esse abstinendum; ut de claravit Sacra Congregatio de Propaganda Fide circa Chineses, tenentes Crucem in manu involutam floribus, & ad eam adorandam, & venerandam dirigentes intentionem, dum veneratur, & adorant Idolum solum Confucium; die 12. Septembris 1645. quas declarationes approbavit Innocentius X. easque mandavit observari sub pœna excommunicationis Sedi Apostolicæ specialiter reservatæ, ut refert Pignatellus tom. 5. consult. 45. & ejus compilator Abbas Pasquicius part. 2. tit. de Missionariis pag. 64.

Respondetur ad Primum, nullum scandalum ab Abrahamo datum fuisse uxori suæ Saræ: non circa assertum mendacium, quòd assereret, esse ejus Sororem, quia erat ejus Neptis, & apud Hebræos Nepteres verò sorores. Non circa perniciam adulterii; quia fidebat tum castitati, ac constantiæ Saræ; tum providentiæ Dei, quæ instinctu ita uxorem monuerat, ut subitis dederet Perieris, Cornelius à Lapide, Tirinus in Comment. Genes. d. cap. 12. cum Auctoritate S. Augustini, & repetit Layman d. lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 10. Vers. Ex tradita doctrina. Ad secundum: Cornelius à Lapide respondet, Loth verè peccasse peccato scandalizandi, offerendo Sodomitibus filias suas abutendas. Sed alium excusant à peccato, eò quia obtulit eas ad evitandum majus malum, quòd pessimi illi civis volebant exercere in Angelos, afferentes volent committere majus malum, licitum esse suadere, ut committat minus. cap. Duo mala; & ibi Barbosa num. 11. diff. 13. Abbas in cap. Super eo. num. 4. de Usuris. Navarrus in Manuali cap. 14. num. 40. & cap. 17. Diana part. 3. tract. 5. resol. 37. Collocata in Coordinato tom. 7. tract. 5. resol. 34. ubi exemplificat, volenti committere adulterium posse suaderi fornicationem; & furato centum, ut furetur quingenta. Porro hæc opinio impugnant, ac reprobant Valentia tom. 3. disp. 5. q. 21. punct. 4. Sà Verb. peccatum. num. 8. & alii plurimi apud Layman d. cap. 13. num. 7. Vers. Contrarium vobis sententiam; nam nunquam licet consulere, ut fiat, quòd est peccatum; & de duobus malis minus est eligendum, sufferendo, si evitari non potest, non autem consulendo. Hinc insignis illa Questio, an liceat absque peccato accipere mutuum pecuniam à feneratoratore, etsi solito eam dare ad usuram? de qua Comitulus lib. 5. q. 10. & Vasquez Opuscul. de Scandalo art. 8. num. 33. Qui stant pro negativa; nisi gravis necessitas excuset. Et agentes comœdias impudicas rei sunt criminis mortalis. Idem Comitulus d. lib. 5. quest. 11. & alii plurimi casus, in quibus Theologi ostendunt, nunquam licitum esse præbere alibi occasionem peccandi, etiam sub aliquo bono fine; de quibus Caspolarum tom. 1. tract. 6. disp. 6. punct. 6. num. 9. Azorius, Wigers, & alii apud Dianam Coordin. tom. 7. tract. 5. resol. 37. & 38. deductæ ex veteri part. 6. tract. 7. & 8. resol. 43. & 44. Igitur excusatur Loth ab aliis, quòd ea verba dixerit Sodomitibus de filiabus suis, eadem animi perturbatione, non ex plena advertentia; vel quòd comparative locutus sit, non positive; idest potius abutimini filiabus meis, quam Angelis hospitiibus; sed per hæc verba non obtulit filias, nec interlexit eas positive offerre ad alios; sicut quæ ad placandum hominem iratum contra aliquem, offert pectus suum nudum dicens, potius ecce, occide me; non ut occidatur; sed ut ille

placetur; ut latius Cornelius à Lapide in d. Genes. cap. 19. Comitulus d. lib. 5. quest. 9. in fine. Et Layman d. cap. 13. num. 7. Ad Tertium respondent circa Naaman Syrum; ejus genuflectionem in templo Idoli non fuisse factam ad simulandam adorationem ejusdem Idoli; sed tantummodo ad ferendum, & sublevandum Dominum suum; prout faciebat in cubiculo, in via, & aliis locis; idest ab Eliseo non fuisse prohibitam; quia nec dirigebatur ad Idolum, nec requirebatur in signum adorationis illius; Ita Baldellus in Theol. Mor. lib. 1. disp. 14. num. 24. & Comitulus eod. lib. 5. quest. 9. num. 6. Chineses autem genuflectunt, honorant, & adorant Idolum suum, & ad hunc finem petuntur, & adorant Idolum suum, & ad hunc finem petuntur, ac practicantur prædictæ adorationes; idest prohibite fuerunt à Sacra Congregatione, non obstantè tacita intentione adorandi Crucem absconditam intra flores; quia ubi agitur de fide profutenda, nunquam licet simulare; nec facere actiones protestativas falsi cultus, ut probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa in 3. Sent. tom. 3. part. 2. De Fide, ac propagatione ejus, disp. 11. art. 9. num. 253. & segg. & plene legitur in Apologia P. P. Dominicorum Missionar. Chinesium Typis impressa Coloniae per Hæredes Cornelii Egymond. Anno 1699. Et hæc omnia deseruiunt ad cavendum, ne scandalum activum committatur directè, vel indirectè in ruinam spiritualem populum.

At circa Scandalum passivum; Canonistæ dant quatuor sequentes regulas. Prima est, pro scandalo passivo vitando non sunt omittenda ea, quæ sine peccato mortali omitti non possunt; ut baptizari, Horas dicere, & penitentiam accipere, decimas Ecclesiæ debitas exigere; immunitatem Ecclesiasticam defendere, & similia. cap. Cum ex injuria. Et ibi Glossa in Verb. dimittenda. De Novi operis nunciata. Idcirco S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, & S. Bellinus Episcopus Patavinus non formidarunt, ob timorem scandali passivi, tueri jura suorum Ecclesiarum, & mortem subire per manus impiorum, prout etiam fecit S. Stanislaus Cracoviensis Antistes in corripienda luxuria Regis Boleslai. Alexander III. pariter non timuit excommunicare Imperatorem Federicum contumacem, ac Sedis Apostolicæ hostem insensum. Et Clemens VII. non omisit, justitiam facere Catharinæ Uxori Henrici VIII. Regis Angliæ, sententiam ferendo super validitate sui Matrimonii, non obstantibus scandalis ab ipso Rege attentatis, lasciviente cum Anna Bolena; ut ex Annalibus Ecclesiasticis Odorici Rainaldi Anno 1534. siquidem, Ut ilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. cap. 3. De Regul. Jur. cap. Nisi 10. Vers. Pro gravi. De renunc. capit. Inter verba. 55. Vers. Si autem. 11. quest. 3. cap. Si illa 23. 1. quest. 7. Secunda Regula est, pro vitando scandalo passivo non sunt committenda, que sine peccato mortali committi non possunt; ut si quella stupro consentiat, ne is, qui petit, seipsum interimit: cap. Cum homo. 23. quest. 5. cap. 1. distind. 14. Et ob hanc Regulam Eleazarus, compulsus carnem porcina manducare, gloriosissimam mortem magis, quam odibilem vitam complexus fuit. 2. Machab. 6. 19. & ob eandem causam septem fratres Machabæos unà cum Matre, sub Antiocho Rege, legitimus tormentis extinctos. 2. Machab. 7. quod & omnes SS. Martyres invincibiliter sunt passi. Tertia Regula est, pro vitando scandalo, quis potest committere, quòd sine mortali peccato committi potest; ut gestare habitum ordini suo parum congruentem. cap. Deus. 11. De Vita, & honest. Cleric. & conformare se moribus eorum, inter quos vivit. cap. Quisque. 41. dist. Quarta Regula est, pro vitando scandalo potest dimitti, quòd sine peccato mortali dimitti potest, ut corrigere, se punire omnes

re omnes delinquentes, si in magno sint numero. cap. Latoris. 4. De Cleric. excom. cap. ult. de Temp. ordinat. cap. 2. De Cognat. Spirit. Et hoc quotidie praticatur in Ecclesia in Matrimoniiis, cum occulto impedimento dirimente contractis, in quibus ob timorem scandali permittuntur conjuges in eis permanere, & conceditur dispensatio. Leo in Praxi Pœnitent. par. 2. pag. 160. & Gobatus in Quinario tract. 5. cap. 37. num. 171. ubi bene declarat, quod per illa Verba Ad vitanda scandala, quæ in literis Sacre Pœnitentiariæ inferuntur, intelligendum est, ne præbeatur occasio peccandi per temeraria iudicia, detractioes, odia, dissensiones, aut per imitationem mali exempli; & prædictas quatuor Regulas ex Canonistis antiquis desumptas ponit Fagnanus in d. cap. Cum ex injunctio. num. 9. De Novi operis nunciati. Quæ omnia, etsi prolixè ultra intentionem, necesse duxi explicare ad intelligentiam hujus materiæ in mundo frequentissimæ de Scandalo. Nunc breviter innuendum, quando circumstantia scandali sit in Confessione exprimens.

Igitur qui peccando dedit scandalum sive directum, sive indirectum, aut, quod idem est, sive per se, sive per accidens, ut supra declaratum est de scandalo activo, tenetur omnem circumstantiam ejusdem scandali manifestare in confessione; ita ut declaret materiam, in qua datum est scandalum; personas, tum quo ad numerum, tum quo ad statum, quas scandalizavit; sive ex hoc scandalo activo sequatur sit scandalum passivum, id est, quod prædictæ personæ passæ sint ruinam spiritualem, & lapsæ sint in peccatum, sive non. Et in quas species peccatorum ruerint prædictæ personæ scandalizate; ut fuscè docent Eminentiss. Cardin. de Lugo disp. 16. sect. 3. per totam, & sect. 4. Eminentiss. Cardin. de Lauræa disp. 11. art. 6. à num. 101. & segg. ac DD. quos citat, & sequitur Diana Coordinatus tom. 1. tract. 7. resol. 13. nec non resol. 14. ac etiam in tom. 7. tract. 5. resol. 2. & resol. 3. Quæ omnes excerptæ fuerunt à veteri Diana part. 3. tract. 4. resol. 113. alias 114. Item part. 5. tract. 7. resol. 2. & 3. Pariterque part. 7. tract. 6. resol. 33. in quibus omnibus firmatur antedicta obligatio peccantis cum scandalo activo, declarandi, ultra circumstantiam sui ipsius personæ, omnes circumstantias concernentes materiam dati scandali, numerum, ac qualitatem personarum scandalizatarum; simulque quot, & qualia peccata occasione sui scandali, ab iisdem personis fuerint commissa; eorum enim omnium reus est ille, qui scandalum dedit; idemque novissimè docet, pluribus DD. citatis Collegium Salmant. d. tract. 6. cap. 8. num. 92.

Corollarii loco notandum venit, quod si quis per ignorantiam, aut oblivionem omiserit manifestare Confessario aliquam circumstantiam peccatorum, quæ confessus fuit, qualitatem suæ ipsius personæ concernentem, de quibus hucusque actum est, satis est confiteri illam circumstantiam omnissimam, absque obligatione referendi præteritas confessiones, ut docent Reginaldus lib. 6. num. 153. & alii plurimi cumulatè per Dianam Coord. d. tom. 1. tract. 3. resol. 119. sumpta ex part. 3. tract. 4. resol. 107. alias 108. in veteri. Et hæc de circumstantia QVIS.

DECISIO XXVII.

ARGUMENTUM.

Distinguitur de circumstantia QUID, concernente peccata Pœnitentiæ, ad duos præcipuos effectus; ut scilicet Confessarius cognoscat, quando mutent speciem, & quando habeant annexam obligationem restitutionis vel bonorum, vel famæ. Repetuntur cursum ferè omnia peccata contra Præ-

cepta Decalogi ad supradictos effectus; & plures circumstantiæ considerantur, potissimum in peccatis Luxuriæ, & in usu Matrimonii. Dantur doctrinæ, & exempla recentia compensationis damnorum, cum facta Historia reculatæ Restitutionis famæ.

SUMMARIUM.

- 1 Circumstantia QUID, quid sit?
- 2 Infidelitatis peccatum requirit circumstantiam subiecti, ac objecti.
- 3 Blasphemie circumstantiæ explicandæ. Et quæ?
- 4 Superstitionis circumstantiæ, quæ?
- 5 Voti, ac Juramenti circumstantiæ.
- 6 Missæ omisse in die festo circumstantiæ: & in devotè audita.
- 7 Parentum contumelia affectuum circumstantiæ.
- 8 Odi, ac Homicidii.
- 9 Luxuriæ, ac peccatorum carnalium; scilicet omnium specierum, Deselectionis morose, tantum, &c.
- 10 Jactantiæ de peccato commisso.
- 11 Fornicationis cum libera, & cum filia spirituales.
- 12 Copulæ cum infideli.
- 13 Secundus modus proprius ex medicorum doctrina.
- 14 Sacrilegii in Luxuria circumstantiæ.
- 15 Mulierem distans ab Altari; nec Missæ inferriant.
- 16 Leo Papa III. an ex osculo in manu sibi dato à muliere, tentationem sit passus libidiniosam?
- 17 Adulterii circumstantiæ. Conjugatorum peccata carnis.
- 18 Maritus an possit desistere à copula ante seminationem?
- 19 Semians in officio vasis naturalis an peccet?
- 20 Conjugatorum quo ad copulam obligationes.
- 21 Luxuriæ reliquæ species.
- 22 Demoni in relicto pessimo nunquam succubus.
- 23 Ablationis rei aliene vel per sacrilegium, vel per rapinam, vel per furtum.
- 24 Restitutio faciendæ ex rei aliene injusta ablatione.
- 25 Damnorum restituendorum casus duo recentes.
- 26 B. Conradi Eremitæ exemplum restitutionis damnorum.
- 27 Octavum Præceptum Decalogi quot peccatis transgrediat? eorum explicatio, ac circumstantiæ.
- 28 Cause non restituendi famam.
- 29 Exemplum detractoris renuentis restituere famam.

Secunda circumstantia in confessione explicanda vocatur QUID, quæ quidem concernit ipsum peccatum, quod penitens confitetur; non quatenus peccatum est in sua specie prima, ac essentiali; sed tanquam formalitas quadam, seu qualitas adveniens peccato, quæ facit illud considerabile ultra suam essentialitatem ob aliquem ex sequentibus respectibus. Primò an sit retentum, vel habeat annexam censuram; ad hoc ut sciat Confessarius, quomodo se gerere debeat, & an habeat facultatem absolventi? de quo respectu egimus supra Decif. XXII. num. 15. & 16. Secundò, an peccatum sit de illis, quæ multiplicent numerum extrinsecus generibus explicatis Decif. XXIV. num. 11. & segg. scilicet vel ex intentione peccandi, vel ex actione in peccando, aut ex forma exprimentis ipsum peccatum. Tertio ad cognoscendum, an ipsa circumstantia gravet tantummodò ipsum peccatum, vel etiam faciat ipsum mutare speciem, & prout declar-

vimus in Decif. XXX. per totam. Et Quarta ad effectum, ut ab hac circumstantia QUID, intelligat Confessarius, an etiam insit obligatio restitutionis ob damnum, vel nocumentum ab ipso Penitente illatum proximo, vel in vita, vel in fama, vel in rebus; & quoniam impossibile est omnes circumstantias circa QUID numerare, cum ipse sint innumera, (ut ait Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Pœnit. disp. 11. art. 6. num. 151.) ideò hic præcipuas referemus, servato ordine præceptorum Decalogi, ad faciliorem Parochorum, Confessariorumque instructionem, tum circa mutationem specierum, tum circa obligationem restituendi.

Quo ad Primum Præceptum: In peccato infidelitatis oportet explicare circumstantiam tum subiecti, tum objecti. Illa dicitur circumstantia subiecti, quæ ostendit sectam, ad quam penitens per peccatum infidelitatis deflexerat, puta si ad Paganismum, vel Judaismum, vel ad Turcas, ad Apostatas, aut Hæreticos. Objecti autem circumstantia est, declarare errores particulares, quos fuerat professus; ut si negasset SS. Trinitatem cum Sabellianis; consubstantialitatem Filii cum Ariani; Spiritum Sanctum cum Macedonianis; veritatem SS. Eucharistiæ cum Calvinistis, ac Lutheranis; & sic de erroribus aliis contra fidem. Ratio autem est; quare hæc circumstantiæ in specie sunt à penitente manifestandæ; & non sufficit, se accusare genericè, dicendo aberravi à fide; quia omnes prædictæ infidelitates habent malitiam specie diversam; opponuntur diversis bonitatibus; & diversis legibus prohibentur. Siquidem Judaismus, ac Turcismus habet circumstantiam, cui inest malitia superstitionis. Paganismus retinet Idololatriam; Calvinismus, & Lutheranismus negat Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ac Sacrificium Missæ, & admittit ritus damnatos ab Ecclesia; & per consequens tum secta, tum errores infidelitatis sunt specificè confitendi; ut probant Castropalaus tom. 1. tract. 4. disp. 2. punct. 1. num. 6. Leander de Pœnit. disp. 8. sect. 2. per tot. & alii apud Collegium Salmanticensem d. tract. 6. cap. 8. num. 100. Novissimè Emin. Card. de Lauræa d. disp. 11. à num. 228. & segg. ubi contrarium asserentes redarguit.

Quo ad Secundum Præceptum: Si Penitens se accuset de peccato blasphemie, debet explicare qualitatè blasphemie, an fuerit hæreticalis, an non. Et an fuerit contra Deum, vel contra Deiparam, vel contra Sanctos; & ratio est, quia prædictæ omnes blasphemie differunt specie inter se. Vel si processissent ex odio Dei, hæc etiam circumstantia esset explicanda, ut probat Sanchez in Decalog. lib. 2. cap. 32. num. 39. nam sicut blasphemia se opponit reverentiæ Dei, edium est contra Divinam charitatem; prout etiam blasphemie contra Deiparam habent malitiam specialem ab illis, quæ evolvuntur contra Sanctos, ob excellentiorem cultum Hyperdulæ, quo Beatissima Virgo honoratur, eo Dulæ, quo cæteri Sancti coluntur. Præterquam quod in blasphemis, & conviciis contra Sanctos duæ sunt specificæ malitiæ; una, contra illam personam, quæ contumelia afficitur, cum sit per se digna honore; altera, quatenus illa malitia redundat in Deum ipsum, qui vult honorari in Sanctis suis. Ricciullus De Personis in statu reprobo versan lib. 1. cap. 7. num. 14. & segg. Erotemata mea Ecclesiastica cap. 34. per totum; ubi num. 5. docuit, blasphemiam committi tribus modis, per simplicem maledictionem, per convitium, ac per irrisionem; quos modos exemplis declaravi; & quod blasphemia etiam fit scriptis, & factis contumeliosis in Deum, Deiparam, vel Sanctos; & num. 27. ubi demonstravi penas infligendas in blasphemos; ac tandem num. 39. ubi ex Volpi resol. 26. num. 24. docui, blasphemiam eructatam in Ecclesia, vel

loco Sacro non esse circumstantiam mutantem speciem, sed notabiliter aggravantem; & propterea tutius esse eam exprimere unà cum supradictis aliis speciebus mutantiobus ob diversas malitias. Collegium Salmanticense. alios DD. cum laniis d. tract. 6. cap. 8. num. 93. ac Eminentiss. Cardin. de Lauræa in cir. disput. 11. art. 6. §. 5. Concordant DD. apud Tamburinum de Exped. Confess. lib. 2. cap. 3. §. 1. addens quod qui uno impetu plures blasphemias profert, censetur unum tantum peccatum committere, at saltem esse circumstantiam notabiliter aggravantem, & salubrius explicandam est dicendum.

Si verò Penitens se accuset de Superstitione vel Divinatione, debet exprimere circumstantiam facti cum demone; an fuerit implicitum, vel explicitum, quia facit differre specie. Item si demone adorasset; nam commisit Idololatriam; si adhibisset res Sacras, nam reus esset Sacrilegii; si intendisset mortem, vel bona alicujus, quia esset peccatum homicidii, vel furti. Sanchez in Decalog. lib. 2. cap. 38. à num. 66. Tamburin. ubi supra lib. 2. cap. 2. §. num. 15. & 16.

Qui vovet facere rem aliquam de Præcepto, ut jejunare in Quadragesima, in quatuor Temporibus, vel audire Missam in die festo, & votum confirmatum Juramento; committit tria peccata specie diversa, si non servet promissum; ideò hæc tres omnes circumstantias tenetur confiteri. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 27. num. 26. Tamburin. d. lib. 2. cap. 3. §. 2. num. 19. & 20. addens §. 3. num. 23. quod qui frequenter jurat saltem ex consuetudine, tenetur circumstantiam consuetudinis manifestare, quia habet specialem malitiam, prout in aliis peccatis ex consuetudine, ut se inebriandi, blasphemandi, se polluendi, ac similibus, ut docet Sanchez in Decalog. lib. 3. cap. 5. num. 13. & 14.

Quo ad Tertium Præceptum Decalogi: Qui non audit Missam in die festo ob aliquem malum finem, puta, ut interim foretur bona alicujus, vel carnale peccatum committat; etsi furtum, vel carnalis copula non sequatur, tenetur hæc circumstantias aperire, quia faciunt peccata numero, ac specie diversa. Tamburin. d. lib. 2. cap. 1. §. 11. num. 73. & 74. Prout etiam qui se inebriavit die festo, & ea de causa non potuit audire Sacram. Gobatus in Quinario tract. 5. cap. 45. à num. 3. & segg. Ulterius, qui durante Missa, non genuflectit, vel confabulationes habet cum aliis, eos impediendo, ne Missam audiant, debet manifestare hæc circumstantias, quæ habent malitiam specie diversam, nempe irreverentiæ actioni sacre, scandali cum proximo, & non adimplementis Præcepti de audienda Missa. DD. apud Summam Dianam Verb. Missam audire, num. 14. Erotemata mea cap. 47. num. 18.

Quo ad Quartum Præceptum: Circa contumelias, injurias, vel offensas illatas parentibus, ac sanguine conjunctis, in primis explicandæ sunt circumstantiæ personarum ipsi penitens contumelioso attentantium; videlicet, an hæc sint Pater, & Mater. Non solum enim aggravant peccatum, & mutant speciem ob singularem amorem, sed meritum per filios genitoriibus suis debitum. Idem de injuriis per genitores illatis filiis; nec non per fratres fratribus, ac sororibus; addeat non sufficere in confessione, contumelias, injurias, vel verberibus affecti parentes, seu consanguineos; sed primum gradum supradictorum sit manifestandum. Molina de Just. & Jur. tom. 1. disp. 7. Eminentiss. Cardin. de Lugo de Pœnit. disp. 16. sect. 6. à num. 303. Collegium Salmanticense. d. tract. 6. cap. 8. à num. 82. & Tamburin. d. lib. 2. cap. 5. per totum; ubi idem asserunt de Marito, ac Uxore; & de injuriis illatis Superiori tum Ecclesi-

fico, tum Laico; talis enim circumstantia Superioritatis est fatenda, ob duplicem speciem malitiam, contra charitatem erga proximum, & contra reverentiam erga Superiorem; idemque dicendum, si offensus fuisset contumelias, ac iniuriis magnus Pœnitentis benefactor.

Quo ad Quintum Præceptum: Qui odio habuit proximum suum, eique malum desideravit, puta mortem, inopiam, infamiam, etiam Tamburin. d. lib. 2. cap. 6. §. 3. putet, sufficere, si Pœnitens in confessione dicat, desideravi malum proximo; probabilis tamen, ac tutius est exprimere qualitatem mali voliti, quia si fuerit de eo occidendo, vel de eius bonis surripendis, vel detractionibus illum infamando, sunt peccata contra diversa præcepta; idem sunt circumstantiæ aperiendæ, tamquam mutant species. cap. Propterea. De Pœnit. dist. 1. idque constanter defendit Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 11. art. 6. §. 3. per totum à num. 191. & seqq. ostendens, ex contraria sententia se quibus magnum absurdum; nempe, quod satis esset in confessione dicere: Peccavi contra Deum, vel proximum, & nihil aliud; quod est hæresis. Porro qui actualiter occidisset plures, debet numerum, & conditionem intersectorum explicare, quia si inter eos, esset vel Clericus, vel parens, aut consanguineus in primo gradu, vel Superior, peccatum non solum esset numero diversum, prout supra dictum est, sed etiam species; & idem dicendum etiam si unico ictu plures occidisset, quod notat atque docent DD. apud Collegium Salmanticen. d. trañ. 6. cap. 8. num. 71. Quod si quis occidat hominem, deinde discerpat cadaveris membra, extrahatve jecur, cor, vel similia, obligatus est fateri has circumstantias, quia habent malitiam speciem diversam ab homicidio; nempe malitiam feritatis. Eminentiss. Card. de Lugo d. disp. 16. §. 12. num. 497. Et Tamburin. d. lib. 2. cap. 6. §. 1. De circumstantia autem loci Sacri, in quo factum fuisset homicidium, seu vulnera inflata, dicemus infra in circumstantia UBI.

Quo ad Sextum, & Nonum Præceptum: Quia per Moralistas plures indecentissimæ circumstantiæ referuntur in materia luxuriæ, ab his ex modestia abstinebo, & solum necessaria narrabo. Primò igitur in peccatis carnis tam internis, quam externis explicanda est conditio utriusque personæ; id est cogitantis, seu agentis, & illius, ad quem cogitatur, vel cum qua agitur; nam ex diversitate status earum insurgit diversitas specierum, seu circumstantiarum mutantium speciem, ut omnibus notum est. Si enim alterutra persona sit religiosa, committitur *Sacrilegium*; si uxorata, *Adulterium*; si Virgo, *Stuprum*; in quo peccato inest obligatio dotandi puellam stupratam. Farinacius de *Delictis carnis* quest. 147. à num. 97. & Gobatus trañ. 10. num. 198. Si consanguinea, vel affinis *Incestus*; si alterius sexus, *Sodomia*; si alterius speciei, *Bestialitas*, idcirco circumstantiæ personarum sunt exprimendæ. cap. Si propterea. De Pœnitent. dist. 1. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 11. art. 6. §. 2. Et quidem si in sacrilegio, vel in adulterio utraque persona sit religiosa, vel conjugata, utriusque status (non nomen) est exponendus ad Confessionis integritatem. Diana part. 11. trañ. 5. resol. 51. quæ in Coordinato jacet in tom. 1. trañ. 7. resol. 97. Catropalensis tom. 1. trañ. 2. disp. 3. punct. 3. num. 9. & alii plurimi apud Collegium Salmanticen. d. trañ. 6. cap. 8. num. 71. quod innumerum supra Decif. XXVI. n. 7. Et quamvis Tamburin. infra citandus, loquens de sola delectatione morosa carnali, abique desiderio eam actu exercendi, concedat, non esse exponendam circumstantiam personæ, erga quam, seu circa quam quis morose delectatur, puta si esset conjugata, consangu-

nea, vel Monialis; contrarium tamen est tenendum, quia ex objecto, in quo versatur delectatio morosa, mutatur species peccati; præter moralem impossibilitatem delectandi, & n. concupiscendi personam, in qua homo sistit morale delectationem; quod refragari non audeat ipemet Tamburin. d. lib. 2. cap. 7. §. 1. num. 3. & 4. ubi quod idem tenendum est de aspectibus turpibus erga personas vel sacras, vel conjugatas; & multo magis de tabulis earumdem ad malum finem, seu ex carnali delectatione, ac de colloquiis inhonestis cum delectatione; est enim narranda species carnalitatum, de quibus pœnitens fit locus; ac ratione scandali, referendæ qualitates personæ, & numerus, coram quibus sic turpiter fit locus.

Et quoniam non desunt, imò plurimi reperitur, qui latantur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, Prov. 2. 14. non levis est altercatio inter Theologos; an qui se jactat de peccato carnali commisso, teneatur in Confessione non solum se accusare de peccato jactantia, sed etiam debeat exprimere peccati speciem, de qua se gloriat; est, ac jactavit. Et eundem si prædicta jactantia sit cum complacencia de eodem peccato, omnes concedunt, esse constituendam speciem ejusdem peccati, quia ipsa tamquam ab objecto specificatur; & recipit novam malitiam distinctam à sola jactantia. Castropalensis tom. 1. trañ. 2. punct. 11. num. 5. Sanchez, Diana, Eminentiss. Cardin. de Lugo, Diacastillus, & alii apud Collegium Salmanticen. d. trañ. 6. cap. 8. num. 77. Et idem dicunt de jactantia vindictæ, furti, aut alterius iniquitatis. At si jactantia, & laudatio de peccato commisso sit abique complacencia ipsius, negant necessitatem aperiendi in Confessione speciem ipsius peccati, ex eo quia tota malitia jactantia videtur posita in captanda gloria ex malefactis. Bassius tom. 2. Verb. Jactantia. num. 2. Diana part. 3. trañ. 4. resol. 166. alius 161. nec non part. 4. trañ. 4. resol. 44. ac etiam part. 11. trañ. 7. resol. 36. Quæ sibi obtinuerunt sedem in Coordinato tom. 1. trañ. 7. resol. 37. 38. 39. Quibus adhæret Tamburin. lib. 2. cap. 7. num. 10. Cæterum contrariam sententiam, quæ verior est, probabilior, ac securior, tuentur Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 3. num. 13. Candidus Disquis. 24. dub. 31. Lessius de Jus. & Jur. lib. 2. cap. 47. num. 42. & alii, quos citat, & sequitur Collegium Salmanticen. d. trañ. 6. cap. 8. num. 80. ea ratione, quia, qui se jactat, & laudat de commisso peccato, non solum querit gloriam de peccato, sed etiam approbat ipsum peccatum; atque approbatio peccati mortalis non potest reduci ad eam speciem, ad quam pertinet ipsum peccatum mortale, quod approbat, cum ab illo approbatio, sicuti & affectus proculdubio specificentur. Ergo præter malitiam inanis gloriæ, quæ reperitur in jactantia illa, qua graviter peccatur contra reverentiam Legis Divinæ, est etiam alia distincta malitia necessaria explicanda in Confessione, quæ reducitur ad speciem peccati carnalis, seu alterius generis, commissi, quatenus per illam jactantiam, & laudationem peccatum ipsum approbat, & huic sententiæ firmiter adhæret Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 11. art. 6. §. 6. à num. 226. Nec obliviscatur lector, quod jactans se coram pluribus de peccato, debet exprimere numerum, ac qualitatem personarum, coram quibus se jactavit, ratione scandali, ut diximus supra Decif. XXVI. num. 19.

Igitur reus fornicationis debet exprimere, se fornicatum fuisse cum muliere libera tot vicibus; si tenetur si cum diversis mulieribus peccaverit, non tenetur explicare mulierem diversitatem, nisi interrogetur à Confessorio. Tambur. d. lib. 2. cap. 7. §. 4. Quando autem meretrici sit imponenda restitutio pecuniæ acceptæ vel à filiofamilias, vel à Religioso,

ligioso, dixi in *Decisionibus meis Anni 1686. de Restit. Mensis Februarii. Cap. 1.* Quod si fornicator fuisset Confessorius ejusdem mulieris, cum qua ex accidenti coiret, hanc circumstantiam esse fatendam alii affirmant; alii negant, supposito, quod nullo modo Sacerdos utus sit aliquo prætextu ad Sacramentum, vel spirituale filiationem spectante, DD. pro utraque opinione allegati à Collegio Salmanticen. d. trañ. 6. cap. 8. à num. 58. & seqq. Porro si eandem mulierem sollicitasset ad turpia in Confessione, vel occasione Sacramenti Pœnitentiæ ante, vel post ad copulam pervenisset, vel sub aliquo prætextu Patris Spiritualis, hæc circumstantia esset omnino confitenda, quia habet malitiam mutantem speciem, & ultra peccatum fornicationis, intrat aliud peccatum Sacrilegii, ac Scandalii; quod gravissimis penis punitur ab Ecclesia; ut ostendunt mea Erotemata cap. 126. per tot. in quo plene cumulavi materiam sollicitationis; & obligationem denunciandi Confessorius ad turpia sollicitans. Quod si ad alia delicta sollicitaret penitentes, puta ad furtum, ad vindictam, non esset denunciandi S. Officio; sed peccaret triplici peccato, Sacrilegii contra Sacramenti reverentiam; Scandalii contra charitatem proximi; & illius peccati, ad quod exierat penitentem; idemque hæc triplex circumstantia esset ab eodem confessorio manifestanda.

Qui habet copulam cum Infideli, vel naturalem, vel contra naturam, debet hanc circumstantiam declarare, quia est alia species peccati contra Religionem. Sanchez de *Matrim. lib. 7. disp. 5. num. 12.* Eminentiss. Card. de Lugo d. disp. 16. §. 6. num. 336. Sed quando in copia naturali non servatur debitus modus, sed exerceatur coitus vel stando, vel sedendo, aut à latere, aut præpositè, vel viro succumbente, dummodo servetur vas naturale, & semen altera illud non effundatur, non sunt circumstantiæ mutant species; & sic necessario non confitentur. Sanchez de *Matrim. lib. 9. disp. 36. num. 3.* Tamburin. d. lib. 2. cap. 7. §. 4. num. 25.

Porro hic non desunt notare, quod scribit Zacchias infra allegandus, videlicet, Mercuriale ex Lucretio, & Paulo, docuisse in *lib. de Morbis Mulier. quest. 1. Var. Leñ. cap. 6.* ad generationem conferre, si ab hominibus coitus exerceatur more belluarum à tergo, quem modum coeundi asserit naturale, est minus voluptuosum; & ratione, quia melius; & promptius recipitur semen ab utero feminæ; sed hanc sententiam esse falsam, & modum Veneris exercendæ magis naturalem esse à parte ante, ex ipsa Anatomie demonstratione Severinus Pinæus lib. 1. de *nat. Virg. & M. Ant. Ulmus Patavinus lib. de Barba hum. scñ. 3. cap. 9.* Quibus consentit ipse Zacchias in *Q. Q. Medicolegal. tom. 1. lib. 3. tit. 2. quest. 7. num. 23.* addens ex modo præposito coeundi pariter conceptos nasci non naturali modo in caput, sed in pede, aut alia extraordinaria forma, cum evidenti periculo vitæ maternæ; ut ipse vidit in praxi cum diversis mulieribus, quæ sibi tamquam Medico fassæ fuerunt, à viris suis postica Venere semper fuisse cognitæ; concludens subinde, quod actus coeundi hoc modo celebratus inducit peccatum, ut pluribus probat Brunellus de *Spons. & Matrim. conclus. 8. num. 13.* Quare cavendum est à Moralibus asserentibus contrarium, & tenendum esse, hanc circumstantiam coeundi more bestiarum esse confitentam tamquam peccaminosam; & à Confessorio esse coercendos Viros, qui accedunt ad mulieres Venere postice, est naturale Vas non immutent. Si hæc præter honestatem videntur relatæ exculter necessitas argumenti, ut veritas habeatur. Alias turpitudines extra vas ante seminatioem exercitæ, saltem tamquam circumstantias notabiliter aggravantes exprimendæ esse, nemo est, qui neget, si tutiorem opinionem sequatur.

Sacrilegii crimen committit, ut jam dictum est, qui Votum castitatis habens rem veneram agit mente, vel actu, & hanc circumstantiam tenetur declarare, ac eam duplicem, si cum alia persona eodem Voto adstricta turpiter se gerat; ut docet Tamburin. d. lib. 2. cap. 7. §. 3. At ulterius eandem sacrilegii circumstantiam, & irreverentiæ in Deum narrare debet, qui feminam concupiscit, vel dum Missam celebrat, vel dum alius Eucharistiam administrat; vel si Laicus est, immediate ante, vel post Communionem se in turpem illam concupiscentiæ trahi sinit. Tamburin. d. lib. 2. cap. 7. §. 5. num. 38. *Verf. Turpiter.* Hinc absum magnum esse aliàs docuimus, quod Mulieres prope Altaria, dum celebratur, accedant. De *Sacrificio Missæ, Decif. 6. num. 16.* nam ad removenda pericula tentationum semper prohibuit fuit mulieribus, celebranti ministrare. cap. 1. in fine. de *Cohabit. Clericor. & mulier.* Barboza de *Jure Eccles. Univ. lib. 2. cap. 7. num. 24.* & in Conciliis statutum, ut in Ecclesiis separarentur à viris, & sic separatæ reciperent Sacram Synaxim. Eminentiss. Cardin. Bona *Rerum Liturgic. lib. 1. cap. 20. num. 6.* & Mablyon de *Liturgia Gallic. lib. 1. cap. 5. num. 24.* Et hic referendum foret, nisi fabulosum reputaretur, quod scribit Joan. Palatinus in *Gestis Pontific. de Leone III. Pontifice Romano XCVIII. pag. 403.* his verbis: *Pontificatus exortio carnis incertum passus esse dicitur ex osculo, quod manus sue Mulier impresserat; additur, osculatum manum fuit ipsi cum presicisse.* Sed quidquid fuerit de hac narratione, quam refutat etiam Eminentiss. Cardin. Baronius *Anno Christi 745. num. 41.* controversi non potest id, quod Apostolus Paulus præcipit Corinthiis; scilicet, quod in Ecclesia Mulier debet habere velamen supra caput suum propter Angulos. 1. Cor. 11. 10. que verba, ut ibidem notat Tirinus, explicantur à S. Anselmo, & à S. Thoma ex S. Ambrosio, propter Sacerdotes, & Episcopos, & à S. Clemente Alexandrino ob quosvis viros bonos.

Adulterium committit, si conjugatus cum alia persona coeat, certum est, hanc circumstantiam tamquam mutantem speciem esse exprimendam; prout utriusque conjugum, si uterque simul peccans ligamine Matrimonii sit adstrictus, probavimus supra Decif. XXVI. num. 7. nunc autem addendum est, quod quæcumque alia crimina carnalia ab uxoris commissa, explicanda sunt in sua specie, ad quæ semper circumstantia Matrimonialis status, in quo penitens reperitur; ut in osculis, tactibus impudicis, mollitie, bestialitate, sodomia (etiam cum propria uxore) ac similibus, ob specialem injuriam, quæ cum his carnalibus immunditiis fit Matrimonio. Sanchez lib. 9. de *Matrim. disp. 18. num. 4.* Tamburin. d. lib. 2. cap. 7. §. 6. Sed quid imponendum adultero, & adulteræ; si nascatur filius ex adulterio, qui credatur genitus à marito, & sint alii filii legitimi, cum quibus concurrat adulterinus ad hæreditatem paternam? Videantur hæc Decisiones de *Restitutione Anno 1686. mense Junio, Casu Primo.* Hic autem duo quæstia currenti calamo, quia fuerunt, circa maritatos sunt examinanda, quorum decidendum vera ratio non ita facile reperitur apud Theologos, & ea referuntur tamquam Medicus Zacchias in *d. Q. Q. Medicolegalib. lib. 7. tit. 3. quest. 6. num. 7.* & 10. Primum est, an liceat Marito desistere à copia incepta abique propositi feminis effusione? Et licere, respondet Pontius de *Matrim. lib. 10. cap. 11. num. 9.* dummodo tamen Uxor sit contenta, & in Marito non adsit periculum spontaneæ pollutionis. At ipse Zacchias Medicus hanc secundam cautionem reputat impossibilem in Viro; nam, ait, in Venere exercenda semper à parte Viri concurrat calor, ac spiritus ad genitalia membra, ex quibus fit erectio, de hinc ex motu,

motu, & agitatione majorem in modum loca exaltantur, & semen facili negotio ad exitum excitatur; & sic fit Vir à coitu defecit, facillimè, vel modica ex occasione, etiam in vigilia, aut in fomnis, sequitur ejus effusio. Hæc autem non semper locum habent in muliere, quæ interdum absque ulla exaltatione, absque ulla membrorum erectione, absque ullo Veneris appetitu, absque ullo motu, & agitatione, coitum exercet. Itaque in Virō videtur inevitabile periculum pollutionis, non etiam in muliere, nisi valde in Venerem sit accensa. Quare tenendum est, hanc defecitiam à copula incepta non esse licitam in Virō; & esse circumstantiam exprimentam in Confessione, quia facit actum lethalem, ut docent Sylvester, *Verb. Debitum. quest. 7.* Grassius *Decif. part. 1. lib. 2. cap. 82. num. 16.* Ledesma *de Matrimon. quest. 49. art. 6. dub. 2. conclus. 4.* & Henriquez *lib. 11. de Matrim. cap. 15. num. 4.* Et non esse attendendam Sanchezii opinionem, ac aliorum, quos citat *lib. 9. de Matrimon. disp. 19.* patet, quia ipse cum affectu non considerat periculum pollutionis ex prædicta copula imperfecta. *Fornicarius autem*, ait Tamburin. *d. lib. 2. cap. 7. §. 4. num. 26. qui incipit, nec absolvit copulam, debet explicare, quia licet tunc sit fornicator ex affectu, non tamen est re ipsa fornicator, sed solus impudicus.*

Aliud Quæsitum est, an seminante Marito in officio Vasis naturalis suæ conjugis, peccet; & debeat hanc circumstantiam manifestare? Respondet Zacchias Medicus *d. quest. 6. num. 10.* quod uterque, seu vas naturalis mulieris dividitur à Medicis in tres partes, in os externum, in collum, & in os internum; subinde ait, quod ad finem generationis expedit, ut Vir quam penitissimè membrum in uterum intrudat, nihilominus, si aliquoties ab ea intrusione deficiat, si seminet saltem intra os externum uteri, ob ejus attractivam facultatem, potest semen ad se allicere, & obtineri generatio. Sequitur, ad evitandum peccatum, saltem intra os externum esse seminandum; & quod seminans non intra, sed propè, peccat; & hanc circumstantiam tenetur exprimere, non attentis contrariis Moralistarum dictis, de quibus Armilla *Verb. Debitum conjug. Vers. Quarto queritur*, quæ ridicula, & inania appellat doctissimus Medicus prædictus.

Demum, circa Maritorum peccata in usu Matrimonii, non sunt ignorandi à Confessario hi versus, quos ponit, & declarat Eminentiss. Card. Toletus *lib. 7. in Summ. cap. 24.*

Sit Modus, & Finis, sine damno solve, cohere: Sit locus, & tempus, talis, ne spernitur Votum. Modus est, & de quo supra verba fecimus, ut non more belluarum, sed antea venerit, muliere succuba, Vito incubo conjugium exerceatur. Sanchez *d. lib. 9. disp. 16. num. 1.* Finis est, ut maritus affectum dirigat in ipsam uxorem coeundo, non in alienam. Damnum, ut caveat ab uxoris abortu, si sit gravida. Solve, ne perenti debitum denegetur absque urgenti causa, potissimum infirmitatis. Cohere, ut cohabitent simul in eadem domo, ac thoro; nisi ex legitimo motivo, quod fore esse adulterium, separati sint. *Sit locus*, id est non facit; sit tempus, id est non dies sacre communionis, vel solemnitatis magnæ. Talis, nempe non cautivus pollutionis. Ne spernitur votum. Si enim conjuges ex communi consensu Votum castitatis fecerint, peccarent coeundo, non obtemperando dispensatione, ut latius per Eminentiss. Toletum *d. lib. 7. cap. 24. & 25.* & per Sanchez *de Matrim. d. lib. 9. per totum.*

Pro reliquis luxurizæ speciebus non est fas imitari, cum ad earum circumstantias in confessione exprimentas satis sit, ipsas species cognoscere, quæ sunt *Incessus*, cum carnalia peccata patrantur

cum sanguineis, seu affinis; quorum gradum, saltem primum esse specificandum, diximus supra *Decif. XXV. num. 11.* *Stuprum*, cum Virgine reluctante: *Raptus*, cum muliere, sive puer à domo parentum per vim, aut fraudem abducitur. *Mollities*, quæ est voluntaria extra Vas debitum feminis effusio ob delectationem venerem, in qua intentionis, seu objecti circumstantia præcipue est explicanda, præter numerum pollutionum. *Crimen pessimum* perfectum, nempe concubitus Viri cum Viro, feminae cum femina. Imperfectum, Viri cum femina. *Beshialitas*, quæ est coitus cum re animata non ejusdem speciei cum homine; nempe vel cum brutis, quorum speciem explicare non est necesse; vel cum dæmone; & in hoc immani flagitio expressè confitendo variæ circumstantiæ occurrere possunt manifestandæ; an interfuerit cum ipso hoste pabulum aliquod; sacrarum rerum, vel imaginum abusus; An fuerit feminea in forma, vel in virili; Incubus, vel succubus; An in figura Uxoratæ, Conanguineæ, aut Religiosæ; An congressus fuerit naturalis, vel contra naturam. Ut latius considerandum scribit Tamburin. *d. lib. 2. cap. 7. §. 7. 8. 9.* & 10. ubi DD. allegat; & P. Segnerius in *Confessario infrad. cap. 12.* Ubi *num. 4.* de nefando crimine unum singulariter notandum refert; dæmonem, scilicet, sæpè succubum fuisse in fornicatione; sed nunquam in præposita Venere, adeo eam turpem, & execrandam agnoscit.

Quo ad Septimum, ac Decimum Decalogi præceptum; nimirum opus esset referre omnes casus, & omnes circumstantias, tum aggravantes, tum mutantes speciem in peccatis sive opere, sive mente contra hæc præcepta commissis, habentibus obligationem restitutionis rei alienæ, vel damnorum illatorum; ad quam præcipue Confessarii tenentur respicere. Idcirco duo tantummodo consideranda Lectori hic proponam. *Unum* est, quod ablatio rei alienæ, & damnificatio in bonis proximi causat tria peccata specie diversa, nempe *Sacrilegium*, *Rapinam*, & *Furtum*; quas quidem species exprimere oportet in Confessione pro ejus integritate. *Sacrilegium* est ablatio furtiva rei sacre, vel Ecclesiæ, & committitur tripliciter. *Primo* suppetente rem sacram de loco sacro, ut Calicem de Sacrificio. *Secundo* auferendo rem sacram de loco non sacro; ut si quis furtivè prædictum Calicem de domo Parochi, vel aditu, aut Massarii. *Tertio* auferendo rem non sacram de Jure Ecclesiæ, ut ejus pecuniam, ceras, oleum, vel aliam rem quamcumque profanam, sed consignatam, aut commodatam ipsi Ecclesiæ. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp. 16. sect. 10. à num. 469.* & alii apud Tamburinum *d. lib. 2. cap. 8. num. 5.* qui propterea advertunt, quod furtivi rem ad Ecclesiam non pertinentem in Ecclesia, ut crumenam divitis in ea orantis, non est Sacrilegium, sed simplex furtum. Quam tamen affectionem rejicit Collegium Salmanticense. *d. trad. 6. cap. 8. num. 102.* per text. in *cap. Quisquis. 17. quest. 4.* ubi generaliter loquitur; & dicitur, esse Sacrilegium surripere rem ex Ecclesia; cui semper fit injuria. Porro si Sacrilegium modis supra relatis fiat cum fractione muri, seræ, portæ, vel fenestæ Ecclesiæ, fur incurrit excommunicationem latæ sententiæ. *cap. Quisquis 17. quest. 4.* & *cap. Consequenti 22. de Sentent. Excommun.* Quæ post denunciationem factam nominatim ab Episcopo, est Papæ reservata; secus autem antequam fur sacrilegus denunciatur excommunicatus; quia tunc facta restitutione, ac data satisfactione loco Sacro potest ab omni Confessario absolvi. *Theaurus de Pœnis, part. 2. Verb. Sacrilegium cap. 3.* & ibi Doctores. *Rapina* est rei alienæ ablatio, sed cum violentia, & per consequens contumeliosè contra dominum; *Furtum* verò est contractatio rei alienæ occultâ;

cujus

cujus valor, aut quantitas exprimentanda venit in Confessione; ut Confessarius sciat, quomodo se gerat circa imponendam obligationem restitutionis; maxime si de dicto valore, aut quantitate interroget penitentem, quem de ea interrogare omnis Confessarius prudens tenetur. Eminentiss. Cardin. de Lugo *disp. 16. sect. 3. num. 123.* & Tamburin. *disp. lib. 2. cap. 8. num. 1.* nam in omnibus supradictis casibus imponenda est Restitutio, de qua latè egi in d. meis Decisionibus *Anni 1686.*

Alterum considerandum, quod Confessarius pronone est, in quacumque injusta ablatione rei alienæ, & in peccatis, ex quibus damnum illatum est proximo in bonis temporalibus, faciendam esse restitutionem eidem proximo damnificato, vel æqualem compensationem damnorum. Verum qui, & quot sint casus obligantes ad restitutionem? non est præsentis Decisionis exponere; plurimi enim, & innumeri sunt, tum ex actuali injusta ablatione rei alienæ per furtum, rapinam, & Sacrilegium; tum per contractus usurarios, & illicitos; de quibus satis abundè tractavi in Decisionibus meis *Anni 1685. de Usuris*; ac etiam in subsequentibus Decisionibus *Anni 1686.* in quibus materiam Restitutionis exposui, & singulis mensuris per varia quæ sita, & junctis, ac prædictis casus obligationem de re aliena restituendam, damni que illatis compensandis enucleavi; ad quas Decisiones studiosius recurat. Pro nunc retineatur certum hoc principium, quod qui damnum intulit proximo per actionem injurtam, debet eum reparare; ut fuisse probat Eminent. Cardin. de Laurea in *3. libr. Sentent. tom. 2. de Virtutibus Cardinalibus. disp. 23. art. 2. §. 2. per tot.* Et juxta hoc principium respondit, esse obligatum restituere damna, & expensas; *Primo* Paulum, qui deferes secum contrabannum sericum, hospitatus cum eo in domo Petri, causa fuit, ut Petrus, etsi infans, & innocens, processisset à justitia fuerit passus multa damna, ac expensas. *Secundo*, nonnullis habitantibus septem Communium, qui rogant venditionem casei, ac butyri, ipse Patavium cum equo venientem, ac deferes suppellectilia eorum sanguineo, in carceribus Prætoris Urbis ob delictum detento; in quibus suppellectilibus intruserant instrumenta ferrea ad fracturam carceris, quem fregit, & aufugit; & hæc de causa carceratus fuit prædictus casei venditor, qui ad probandam suam innocentiam, & obtinendam sui ipsius liberationem multas expensas, ac damna pariter sustulit. Tandem ad restitutionem tenentur non solum suppetentes rem alienam, ac cooperantes. *cap. Qui cum fure, de furtis*; sed etiam qui ex officio obligati sunt ad rei ablatæ custodiam ex officio, ut Tutores, Depositarii, Guardiani, ac similes; nisi fe omni culpa carere demonstrent. *Rota parv. 2. recent. decif. 762.*

Non est hic tacendum in referendis damnis illatis exemplum B. Conradi Eremitæ, qui cum esset Nobilis Placentinus, & nimis deditus venatori, quadam nocte posuit ignem in Sylva ad feras excitandas; sed vento ignis auctus combustit nonnullas domos, ac familias, non longe stantes; quæ accursantem rem illius incendii quemdam hominem pauperem; qui carceratus postus ad tormenta, præ nimio dolore, fassus fuit; se sylvam incendisse; undè fuit damnatus ad mortem. Conrads, his auditis, se Jucif præsentavit, reumque oblatione ferendi condignas penas; quare, liberato paupere, fuit ipse condemnatus ad reparanda omnia damna familiarum, in quibus referendis consumpsit omnia bona sua, factusque egenus, vitam Eremiticam amplexum meritis sanctitatis coronam adipisci. Ita Hieron. à Basilica Petri in *Epiphemerid. Sacr. die 19. Februar. tom. 2.*

Quo ad Octavum Decalogi Præceptum, Plures sunt species peccatorum contra ipsum, & per consequens plurimæ circumstantiæ à Confessario attendendæ, & requirendæ à Penitente. Peccata sunt *Mendacium*, *Detractio*, *Contumelia*, *Derisio*, *Suffragatio*, *Judicium temerarium*, & *Libellus famosus*, de quibus disserunt mea Erotemata *cap. 104. de segg.* ubi casus plurimi cum circumstantiis tum aggravantibus, tum mutantibus speciem, & habentibus obligationem restituendi famam; quos legisse, & meminisse lectorem juvabit. *Mendacium* est verbum falsum cum intentione fallendi; & est Triplex, *socialum* ex levitate, *Officiosum* ad alterius instantiam, *Perniciosum* in alterius detrimentum. In genere suo est peccatum Veniale, si de re levi; Mortalis, si detrimentum sit grave; vel si ei annexatur Juramentum, quod aggravat in infinitum; & est circumstantia in mendacio peccatis confitenda. In actu verò Confessionis mendacium tunc est mortale, quando irritat Sacramentum, & facit Confessionem nullam. *Reginaldus lib. 24. num. 44.* vel quando est de re gravi. *Summa Diana Verb. Confessionis requirita n. 36.* & in *Verb. Mendacium. num. 2.* *Detractio* est occulta, & injusta denigratio, seu læsio famæ proximi absentis. Et est duplex, *Formalis*, quando fit animo auferendi famam proximo. Et *Materialis*, dum fit ex loquacitate absque dicta intentione. Committitur autem octo modis, his carminibus contentis, quorum primi quatuor dicuntur *directi*; alii quatuor *indirecti*, videlicet:

Imponens, Augens, Manifestans, in mala verbens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remissit.

Horum modorum explicationem dant eadem mea Erotemata, *disp. cap. 104. Contumelia* est injuria, quæ in præsentia alicujus proberi viri, eidem obicitur aliquod crimen, vel defectus. Et in hoc peccato, circumstantia exprimentanda est qualitas personæ contumelia affectæ, si sit Pater, vel Mater, vel Superior, Bonacina *de Restit. in part. disp. 2. q. 5. punct. 1. num. 7.* Et Erotemata mea *cap. 105. num. 3.* Sed Utrum sint exprimentæ contumeliæ individualiter dictæ? Alii DD. negant, & alii affirmant securus; quos allegat Collegium Salmanticense *d. trad. 6. cap. 8. num. 77.* idem dicens tenendum in detractioibus. *Derisio* est actus, quo quis violat honorem alterius, verbis, vel factis, cum intentione causandi erubescitiam, vel confusionem in proximo irriso. Et differt etiam à *Subsannatione*; nam hæc fit signis, non verbis, ut naso rogato, vel expansa lingua; & est peccatum mortale, si causetur magna tristitia in deriso. S. Thomas *2. 2. quest. 75. art. 2.* *Suffragatio* est peccatum lingue, quo quis manifestat defectum personæ absentis ad seminandas discordias, & dirimendas amicitias. Est autem peccatum mortale in genere suo, gravius detractio, ac contumelia; nam lacerat famam, & spoliat amicitia; & ex ea sequuntur sæpè sæpius alia mala; quæ sunt circumstantiæ vel notabiliter aggravantes, vel mutantes speciem in Confessione dicendæ; ut rixæ, odia, homicidia, & alia hujusmodi. Bonacina *d. quest. 5. punct. 2. num. 1.* *Judicium temerarium* est credere malum de proximo ex levibus indiciis, & est mortale, si credatur malum grave; Veniale, si leve. *Libellus famosus* est scriptura, vel signum, quo quis prædicat infamiam alicujus publicam facere; sive ea vera sit, sive non. Sylvest. in *Summa Verb. Libellus*. Erotemata mea *cap. 107.* ubi probavi, habere vim libelli famosi *Litteras orbis*, quæ à malignis scribuntur, & mittuntur Superiori contra aliquem; quod est peccatum mortale. Et fit etiam signis, e. g. dum quis affigit

affigit cornua ad domum alicujus, ut publice incontinentiam ejus Uxoribus. In his omnibus peccatis precipua circumstantia est obligatio restituendae famae, ut docent omnes DD. quos referunt mea Erotemata ubi supra, & Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 2. in 3. Sentent. de Virtutib. in genere disp. 23. art. 9. nisi aliqua legitima causa excuset a restitutione; quas Lobner de Scientia Confessarii pag. 54. restrinxit in his verbis:

28 Si fama obtrita est; & apertum oblitio crimen abfuit: aut rapta a leso sibi fama vicissim est, si donec lesus, vel condonare poterit. Reddere sique potens non sit, vel non sine damno Majori; vel famam alia si lesum eandem Perdidiit ipse via: nihil illi reddere debet.

A declaratione harum causarum, excusantium a restitutione famae, abstinere; quia ex se satis clarae sunt. Cæterum quia absque comparatione difficilior est restitutio famae ablate, quam temporalium bonorum; & ut Confessarii caute agant in absolvendis poenitentibus, qui aliquo ex supra relatis modis famam proximam denigrarunt, antequam eam restituant, vel cerititudinem exhibeant eam restituendi; audiant quod fecerunt præterito sæculo duo insignes Theologi, P. M. Alphonsus Dominicanus cum quodam detractore, ac P. M. Victoria Dominicus in sua Historia Miscell. part. 2. §. 304. Vir quidam nobilis Hispanus coram pluribus Equitibus falsò se iactaverat, copulam habuisse carnalem cum Matrona quadam, cujus fama apud illos Equites læsa remansit. Paulò post detractor iste, stimulis conscientiae punctus, accessit ad P. M. Alphonsum de Castro, eruditissimum virum, rogans, ut ejus Confessionem sacramentalem audiret. Annuit ille; cepitque detractor, se accusare de ablata fama Matronæ. Tunc surgens M. Alphonsus de Sede confessionali exclamavit, dicens: damnatus es; peccatum tuum est sine remedio; statimque discessit. Confessione, ac terrore obrutus ipse poenitens, audito nomine P. M. Victoriae celeberrimi Theologi Dominicanici, ivit ad eundem, petens audire, & juvari, narransque se fuisse expulsum à P. Alpho de Castro, & condemnatum ad inferos irremediabiliter. Obstupuit P. M. Victoria, reflectens, nullum dari peccatum, pro quo non habeatur remedium, si concurrat in poenitente vera detestatio, ac voluntas satisfaciendi pro illo. Confolatus est igitur poenitentem, & hortatus, ut confiteretur peccatum suum; quod ille fecit, detractionem suam narrando, qua calumniatus fuerat illam Matronam, & ejus famam denigraverat. Tunc P. Victoria: Eja, ait, bono animo esto. Peccatum hoc habet suum remedium. Vade, reperi Equites illos, retracta dictum tuum, juramento affirmata, te tunc dixisse falsum ex mera jactantia; Matronam illam esse pudicam, innocuam. Respondit Poenitens: talis retractatio mihi non expedit; nunquam enim fiet, quòd me mendacem dicam coram Equitibus illis; ego enim etiam sum Eques. Hac responsione, & negativa audita, P. Victoria vociferatus inquit: P. Alfonso de Castro, me sapientior, & prudentior fuisi, judicans, peccatum poenitentis hujus sine remedio. Et conversus ad malè dispositum poenitentem, dixit: Utrique sine remedio est peccatum tuum, quando recusas, restituere famam Matronæ, retractando, quòd impudens, ac falsò dixisti. Ac abiit. Utinam nostris diebus, nostrisque Confessariis consimiles poenitentes non occurrerent.

Hac satis sint ad hoc, ut Parochi, & Confessarii genericam habeant notitiam circumstantiæ QUID; id est, ut sciant, quando qualitas peccato adhaerens vel ipsum aggravet notabiliter, vel mutet speciem, vel inducat obligationem restitutionis ob famam, & documenta proximo illata; de qui-

bus differit Reginaldus in Praxi libr. 14. à num. 33. & seqq.

DECISIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

Explicantur quinque sequentes circumstantiæ peccati, UBI, QUIBUS AUXILIIS, CUR, QUOMODO, QUANDO, & ostenditur, quando aggravent; mutent speciem; & sint in Confessione manifestandæ. Exempla duarum Meretricum, reculantium in loco Publico coire.

SUMMARIUM.

- 1 Ubi circumstantiæ indicat locum Sacrum, & locum Publicum.
- 2 Blasphemie, & alia peccata lingua dicta in loco Sacro, an sint etiam Sacrilegia?
- 3 Ebrietas in Ecclesia quid sit?
- 4 Copula carnalis in Ecclesia quando sit Sacrilegium?
- 5 Femine ingredientis claustra Religiosorum sunt excommunicatae.
- 6 Sanguinis humani effusio violenta in loco Sacro est Sacrilegium; item alius forensis, ac seculive excommunicatum in eo; nec non ex illo extrahere Reos.
- 7 Reorum septem genera non gaudentium immunitate loci Sacri.
- 8 Vendere res in Ecclesia sacrilegium.
- 9 Locum publicum ad peccatum circumstantiam scandalis.
- 10 Meretrices recusantes coire in loco publico.
- 11 Circumstantia Quibus Auxiliis declaratur.
- 12 Ignorantia affectata exprimens in Confessione?
- 13 Cur circumstantia in quo versatur?
- 14 Quomodo circumstantia declaratur.
- 15 Recidivorum periculum.
- 16 Festivo die peccare, an sit circumstantia gravans, vel mutans speciem.

Circumstantia UBI respicit locum, in quo committitur peccatum; quod aliquando aggravatur notabiliter ex hac loci circumstantia; aliquando mutat speciem, & aliquando augetur numero. Igitur duo sunt loca per poenitentem explicanda, quando in eis peccavit. Locus Sacer, & locus Publicus. Appellatione loci Sacri venit Ecclesia, in qua Divinum Sacrificium celebratur, ubi si peccata committantur vel graviora sunt, vel multiplicentur numero, vel transeunt in Sacrilegium. Declaro hanc circumstantiam sequentibus exemplis. Primò de Blasphemiis, vel detractionibus prolatis in loco sacro; sive etiam de verbis turpibus, ac cantilenis inhonestis: Et quamvis plures DD. teneant, hæc peccata non transire in sacrilegium; nihilominus tutior est opinio contraria, quia fit magna irreverentia loco Sacro, quod decet sanctitudo, ut advertit Suarez de Relig. lib. 3. cap. 7. Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disp. 16. §. 10. & innuit Gobat in Quinario trad. 5. cap. 49. præcipue si plures adint, qui audiant; tunc enim, & peccatum scandalis naturam, ac Sacrilegii assumit; & hæc omnes circumstantiæ sunt in Confessione exponendæ. Secundò queritur de potationibus, & ebrietatibus factis in Ecclesia; & si data opera, ac pluribus videtur hanc, in Sacrilegii, ac scandalis species transire. Gobat. d. trad. 5. cap. 48. secus si ex accidenti, aut si potationes fuerint aliqua honesta causa vestitæ, & dum operari ornant Ecclesiam, vel aliquod opus faciunt; & ex labore, accensati-

ti, ita bibunt, ut rationem perdant. Tertio exemplificatur de furto; de quo præcedit Decif. XXVII. num. 22. dictum est, esse Sacrilegium quocumque modo res ex Ecclesia furripitur; ut sentit Castropalaus tom. 2. trad. 11. disp. Unic. punct. 4. num. 4. & Collegium Salmantic. d. trad. 6. cap. 8. num. 102. Quarto dubitatur de copula carnali habita in Ecclesia, extra casum urgentis necessitatis. Et quamvis Vasquez, Diana, & alii citati à Collegio Salmanticens. d. trad. 5. cap. 8. num. 101. asserant, non esse Sacrilegam, si sit occultata; quia ex sola publica effusione feminis, aut sanguinis humani Ecclesia polluitur; nihilominus quo ad peccatum coeuntium, etsi occulte, in Ecclesia, dicendum est, assumere speciem Sacrilegii, & esse hanc circumstantiam semper in confessione manifestandam; ob gravem injuriam, quæ infertur loco Sacro per actum illum fordium, & indecentissimum; & ita sentiunt Suarez d. trad. 6. de Relig. lib. 3. cap. 7. num. 4. & alii gravissimi Theologi, quos allegat, & sequitur ipsum Collegium d. num. 101. addens num. 103. eandem malitiam contrahere illum, qui desideraret, aut procuraret coire in loco Sacro, etiam opere non completo. Secus autem si pollutio haberetur in Cellis Religiosorum. Idem Collegium Salmanticens. ibid. num. 104. Ad ingressus feminæ in Claustris Regularium subjacet excommunicationi Papali. Lezana in Summa tom. 1. cap. 10. num. 9. Cæterum per effusionem menstruum feminæ in Ecclesia, ea non polluitur, neque feminis in somnis, aut alio modo in effundente inculpabili. Passerinus de Pollut. Eccles. disp. 7. cap. 2. §. 4. Erotemata mea cap. 30. per tot. Quinto sacrilegium incurrit, qui Ecclesiam polluit per effusionem sanguinis humani in ea commissam; dummodo tamen effusio sit notabilis quantitatis, & percussio sit culpa lethalis, ut ex pluribus exemplis declarat eadem mea Erotemata cap. 29. Sexto Sacrilegii crimen incurrit Judices laici, qui in Ecclesia erigunt Tribunalia, testes citant, ac examinant, vel sententias profertur. cap. 1. de Immunit. Eccles. Sperellus Decif. 104. à num. 51. & seqq. Sexto sacrilegè peccant, qui in loco Sacro seculive excommunicatum, vel infidelem. cap. Ecclesiam. 1. & 2. de Consecr. dist. 1. cap. Consulisti. & cap. fin. de Consecr. Eccles. vel Altar. cap. Unic. eod. in 6. cap. Ad hæc. de Privileg. cap. 15. qui. Sent. Excommunic. in 6. Erotemata mea cap. 51. ubi plurimi casus de hac Sacrilegii specie reperientur. Septimò tandem sacrilegium committunt, qui violant immunitatem loci Sacri extrahendo ab Ecclesia reos, qui ad illam confugerint. cap. Ecclesie. cap. Inter alia, de Immun. Eccl. Et extat Bulla famosa Gregorii Papæ XIV. incipien. Cum alias nonnulli, &c. quam doctissimis Commentariis declarat Farinacius Oper. Criminal. tom. 10. in fin. Novarius in Summa Bullar. part. 2. Comment. 80. & de eadem copiosè differunt mea Erotemata cap. 32. ubi n. 47. notantur septem genera delinquentium, qui confugiunt ad Ecclesiam non gaudent immunitate, & sunt: 1. Publici latrones, & grafitatores viarum. 2. Depopulatores agrorum. 3. Mutilantes, vel homicidii committentes in Ecclesia, vel Cæmeterio voluntariè. 4. Homicidæ proditores. 5. Assassini. 6. Hæretici. 7. Rei læsæ Majestatis in personam Principis. In his tamen casibus necessaria est licentia Episcopi, ut extrahantur prædicti Rei ex loco Sacro, aliis incurritur excommunicatio Papæ reservata. Theaurus de Pænis p. 2. Verb. Immunitatem Localem. cap. 1. Vers. Limita. Octavò: Sacrilegium pariter contrahunt, qui in Ecclesia vendunt res temporales, aut faciunt mercatus, sive adeò propè Ecclesiam, ut impediunt Divinum cultum. cap. Decet. de Immunit. Eccles. lib. 6. Reginaldus d. lib. 14. num. 42. Nonò: Circumstantia Ubi est explicanda, si peccatum committitur in loco publico ratione scandalis,

cap. Nemo, & ibi Gloss. 32. quest. 4. & idè, qui publice fornicatur, plus peccat propter plurimorum scandalum, quam qui occultè. Sanctus Thomas 1. 2. quest. 73. art. 8. Reginaldus d. lib. 14. num. 45. Et quamvis hæc publicitas in rebus venereis videatur moraliter impossibilis, cum nemo fit pejor Taidæ meretrice famosa, quæ interpellata à Paphnutio Abbate, respondit nunquam se exercituram Venerem coram hominibus; ut scribit Marc. Marulus lib. 3. cap. 2. vel scorto illo requirente S. Epbrem, ut secum coiret, qui cum ei respondisset, libenter, sed in platea. Abijt, replicavit femina, in loco publico. Metaphrastes in Vita ejusdem S. Epbrem; & Matthæolus in Sylva Historiali tom. 1. lib. 4. cap. 1. tit. 9. num. 2. & 3. Nihilominus frequentissima est, etsi inobservata, etiam in peccatis carnis, tum in illis, qui domum conducunt pro suis concubinis, ad quas accedunt cum scandalo parentum, ac vicinorum; tum etiam in Religiosis, qui non verentur ingredi domos publicarum meretricum, & exire ex ipsis absque robore; quamvis videantur, ac observentur à transeuntibus, & ab aliis in eodem vico habitantibus; qui omnes gravissimum scandalum, ultra peccatum carnis, committunt; & deturpant bonum nomen sui Ordinis; quæ quidem circumstantiæ sunt omnes in Confessione exprimens, quia non solum aggravant peccatum, multiplicant numero, sed transire illud faciunt ad aliam speciem. De blasphemis autem, homicidijs, ebrietatibus in loco publico patris, nemo est, qui nesciat circumstantiam scandalis inde insurgentem, & necessario consistendam. Hæc de circumstantia UBI.

Sequitur quarta circumstantia QUIBUS AUXILIIS: quæ tria concernit, Instrumenta, Media, & Concausas, quibus usus est, in peccato. Quo ad Instrumenta, ea, per se loquendo, non sunt exprimens in Confessione, puta an quis occiderit hominem Ense, vel Sclopo. An superflitionem fecerit, aqua, vel terra, vel sale. Collegium Salmanticens. d. trad. 6. cap. 8. num. 105. Dixi per se loquendo, quia ex accidenti, etiam instrumentum esset explicandum, prout evenit paucis ab hincant inter duos Presbyteros, qui in Sacrificia rixantes, ad manus venientes, unus arrepta Cruce ibi existente, cum ipsa graviter percussit, ac vulneravit adversarium. Quo ad Media, hæc ut plurimum erunt manifestanda; si per eorum usum Religio offendatur, ut si quis abusus sit Aqua benedicta, rebus sacris, Sacramentis, & similibus: Collegium Salmanticens. d. trad. 6. cap. 8. num. 105. Quo ad Concausas; de eis est faciendi manifestatio, tum ob scandalum, & ruinam spirituales proximi; ut in eo, qui diù sollicitavit mulierem renitentem ad peccatum, ad quod tandem eam induxit; tum ob injuriam, seu violentiam; si vi, aut minis cum eadem usus esset, ad idem effectum carnaliter peccandi; prout etiam, si alios homines, aut famulos secum vi, aut minis duxisset, qui cum adjuverant in committendo aliquo peccato, puta furti, homicidii. Collegium Salmanticens. ubi supra num. 106. & Reginaldus d. lib. 14. num. 46. qui asserunt, tunc hanc circumstantiam gravare peccatum, multiplicare numerum, ac mutare speciem. Sed petes, an explicanda sit ignorantia affectata, quæ causa fuit peccati, ex. gr. quis non curat scire, an mulier, cum qua vult coire, sit libera, vel conjugata? Vel plures rustici declinant audire Missam in die festo sui Parochi, ne audiant, an in hebdomada sint vigiliæ cum jejuniis, & cum verè sint, non jeunant, & comedunt carnes? Et verior opinio est, hanc affectatam ignorantiam esse circumstantiam omninò explicandam, quia habet suam malitiam propriam, distinctam à malitia peccati falsè commissi; vel à periculo, cui se exponit de majori peccato committendo; ut latè probat Sanchez in Decal. lib. 1. cap.